

- 11 MARMORE NATALIS TEGITVR VENERABILE CORPVS
 PRAESVLE QVO SACRIS EST SVVS AVCTVS HONOS
 GRANDE DECVS VATVM SPES ET SOLAMEN EGENIS
 NOBILIVM QVOQ· DVX ET PATER VRBIS ERAT
 5 CONDIDIT HANC SVPERIS POPVLISQ· FAVENTIB· AVLAM
 AEDEQ· CONSTRVCTA PLVRIMA DONA DEDIT
 VNDE QVEANT VIGILES DOMINO SERVIRE PER AEVVM
 PROQ· SVIS CVLPIS POSSIT HABERE PRECES
 PONTIFICVM IN SOLIO BIS SEPTEM MENSIB· EGIT
 10 LVSTRA FERE TOTIDEM VIXIT ET HIC SITVS EST

PVB · SAL · ANN · DCCL

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 156 adnotans: 'Natalis episcopi tumulus hoc inscripto epigrammate in divi Georgii aede etiamnum extat. Ad quod III eidus Maias sacerdotes omnes religionis causa conveniunt et inferias celebrant. Eum enim summum diem habuit, cum in divorum numerum est relatus. Colitur autem religiosissime ab ipsis Georgianis canonicis, quod templum illud ipse aedificasse sodalesque eos instituisse credatur'. — 'Ex A. Alciati antiquario' Fontana f. 71; indidem Saxius peric. p. 82. Diverse Mur. 1915, 4 ex schedis Franc. Castelli.

- 12 EXIMIVM HAEC CELSI CORPVS COMPLECTITVR ARA
 QVEM PIA NAZARIO MATER SVB RVRE CYMELLI
 OBTVLIT AD CAELI PARITER QVI SCANDERET ARCES
 MORTE OBITA · LONGVM PARITERQ· IACERET IN AEVVM
 5 AMBROSIVS TAMEN HOS POST SEPARARE CONDIDIT AMBOS
 NAZARIVM ADPORTANS ALIO CELSVMQ· RELINQVENS
 SAECVLA LANDVLPVVS DONEC POST PLVRIMA PRAESVL
 VATIB· ADSCITIS VICINISQ· VNDIQVE TVRBIS
 LAETITIA SVMMA STVDIO ET CERTANTIB· OMNI
 10 TRANSTVLIT · ATQ· LOCVM DIVINIS VSIBVS APTVM
 IPSE LIBENS STRVXIT MIROQ· DECORE PARAVIT

P · S · ANN · DCCCCLXXV

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 157 adnotans: 'Landulfi Carchani episcopi nostri pietas hoc marmore fit testatissima, quod Celsi martyris honori dicavit anno abhinc circiter DC. Annotandaque est dictio separare pro disiunctum, vox alibi quoque ut apud Val. Flaccum lecta libro Argonaut. V: ossaque nec tumulo, nec separare contegat urna. Et Statium Theb. IIII: tu separare coetu Elisios Persei pios'. — 'Ex A. Alciati antiquario' Fontana f. 49'. — 3 factum COELI. — 11 STRVXIT codex.

- 13 ARIALDO DIACONO
 QVI NEMO VT MELIVS DIVINI MYSTICA VERBI
 TRADIDIT ET POPVLI SOLVS IN ORE FVIT
 QVI LAPSOS MORES DISCIPLINAMQ· CADENTEM
 5 ET THIASI ERRORES CORRIGERE AVSVS ERAT
 HIC ARIALDVS ADEST HEV NOXIA VITA NOCENTVM
 QVAE CENSOREM VLLVM FERRE SCELESTA NEQVIT
 CLAM RAPTVM APPENSVMQ· MOLAE PROIECIT IN VNDAS
 VERBANI VT RABIDIS PISCIB· ESCA FORET
 10 DEINDE SED INVENTVM ATQ· ILLESO CORPORE TEMPLIS
 EST DIGNATA NOVVM MARTYRA POSTERITAS

PASSVS EST III KAL · IVL · M · LXVI

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 158. 'Ex Andr. Alciati antiquario' Fontana ms. f. 102. Ex Fontanianis ed. Puricellius de SS. martyribus Arialdo et Herlemberto (Mediolani 1657 fol.) p. 15. Repetiverunt inde acta sanct. m. Ian. 5, 310, ubi dubitatio movetur de tituli sinceritate. Monuit etiam Duemmlerus Verbanum vocabulum ita usurpatum non satis convenire saeculo XI. — Adnotatio Alciati haec est: 'Arialdi conciones, disputationes, necem, miracula Arnulfus historicus noster memoriae hominum commendavit, idque adeo diligenter, ut omnem mihi de eo scribendi ansam praeripuerit, quod alioquin facturus eram, utpote gentilitiam historiam aedituro. habeo enim auctores ex ALCIATA familia oppido tamen Carimato [postea ins.: vel ut alii volunt Cucciaco] oriundum esse. Relatus inter divos est Alexandri II Pont. decreto, iacuitque per D fere annos in divi Dionysii episcopi nostri subterranea aedicula tumulo marmoreo, donec anno M. D. VIII. a Ludovico XII. Francorum rege Lutetiam Parisiorum translatus, existimante non Arialdum, sed Dionysium se auferre. Adeo Parisiis hominibus placent Dionysii, ut undique gentium ad se etiam Pseudodionysios trahant, et Areopagitam quoque sibi praefuisse comminiscantur. Sane thiasus hic pro sacerdotum choro accipi videtur, seu, ut vulgo dicimus, clero'.

- 12 'In vetustissima et obsolescente membrana leguntur ipsi mihi versus sanctissimi Celsi'.

- COENOBIVM CLAVSTRVM PRAESENTIS RITE SACRATVM
 EXIMIVM CELSI COMPLECTI MARTIRIS ALMI
 NOVISSIMIS OBSEQUIIS VENERAMVR IVRE DI
 CORPVS QVAE MVLIER SVA NEMPE PROBISSIMA MATER
 5 OBTVLIT ALMIFICO RESIDENS IN RVRE CIMELLI
 NAZARIO CELSAM SECVM QVI SVMERE PALMAM
 MARTYRIO MERVIT SIMVL AC SVPER ASTRA MIGRAVIT
 AMBO NON LONGVM PARITER IACERE PER EVVM
 POST TAMEN AMBROSIVS SECERNENS CORPORA SANCTA
 10 NAZARIVM GESSIT HIC CELSVM RITE RELINQVENS
 ANTISTES MVLTVM LANDVLPVVS POST QVOQVE SAECLVM
 VADIBVS ACCITIS VICINIS VNDIQVE TVRBIS
 LAETITIA SVMMA CVNCTORVM LAVDE SVPERNA
 TRANSTVLIT ATQVE LOCVM DIVINIS VSIBVS APTVM
 15 IPSE LIBENS STRVXIT MIROQVE DECORE PARAVIT
 QVORVM PRAESIDIO IVVANTE PER OMNIA CHRISTO
 EMPIRII REGIAM PENITVS NOS SCANDERE SVMET

Fontana ms. f. 50 sub Landulfo.

5 GEMELLI margo. — 6 QVI post NAZARIO deletum. — 16 QVAE post PRAESIDIO deletum.